

**Dissertatio academica in qua chirurgiae novae adumbratio sive delineatio sistitur / [Heinrich Sonntag].**

**Contributors**

Sonntag, Heinrich.  
Heister, Lorenz, 1683-1758  
Universität Altdorf

**Publication/Creation**

Altorfii Noric : Typis Jodoci Guilielmi Kohlesii, [1714]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jpehfmd>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO ACADEMICA  
IN QVA  
**CHIRVRGIAE NOVAE**  
ADVMBRATIO SIVE DELINEATIO  
SISTITVR  
QVAM  
*SVB PRAESIDIO*  
**LAVRENTII HEISTERI**  
MED. DOCT. ANATOM. CHIRVRG. ET THEO-  
RET. PROFESS. PVBL. ET H. T. RECTOR.  
VNIVERSIT. MAGNIF.  
*IN CIRCVLO ACADEMICO DEFENDENDAM*  
*SVSCIPIET*  
**HENRICVS SONNTAGIVS**  
**ALTORFINVS.**  
D. XXVII. OCTOBR. MDCCXIV.

---

*ALTORFI NORIC.*  
TYPIS IODOCI GVILIELMI KOHLESÍ, ACAD. TYPOGR.



# PRAEFATIO.

**Q**uandoquidem meum officium est, docere Chirurgiam, utilissimam illam atque praestantissimam Medicinae partem, & Philatri haecenus me iam aliquoties ad scholas sive collegia, ut vocant, Chirurgica aperienda compellarunt, & denuo nunc sollicitarunt; lubens quidem nunquam non ipsorum desideriis & commodis gratificatus sum. Sed nihil profecto mihi semper plus tædii excitavit, quam idonei Autoris, quem commode in praelectionibus ac demonstrationibus meis sequi potuissem, defectus; quia plerumque Scriptores Chirurgici aut nimis prolixi, maiorisve molis, quam ut sine molestia a studiosis circumferri queant: aut nimis breves sunt, & non omnia continent, quorum cognitione ac notitia tyrones Medicina imbui debent, si totius Chirurgiae complexum, sicuti par est, nosse ac doceri desiderant. Nam nonnulli Autores solum operationes Chirurgicas describunt. Alii non nisi de vulneribus, ulceribus, fracturis, luxationibus & tumoribus, aut una solum Chirurgia parte speciali agunt. Quidam fasciarum preparationem atque applicationem negligunt. Recentiorum plerique, quia vernaculis linguis, Gallica, Germanica, Italica, Belgica &c. in collegiis Academicis apud nos non usitatis, scripserunt, aut incongruis in ratiocinando principiis usi sunt, desiderio meo non satis apti existunt. Nec exercitationibus academicis magis idonei sunt scriptores veteres: nam, etiamsi lingua Romana sua scripta nobis reliquerint, tamen vel ob defectum eorum in bibliopoliis, vel ob theoriam nimis ineptam, Galenicis plerumque principiis superstructam; vel denique ac potissimum, quia & in praxi, ob innumera recentiorum inventa, emendationes atque observationes, nimis manca sunt, ut in explicatione nimis supplenda & emendanda, imo saepe nova prorsus descriptiones surroganda essent, quod docentibus & discen-  
tibus nimis incommodum foret, unde opus valde inconcinnum.

atque inordinatum emergeret. Igitur ob defectus modo recensitos, ut studiosis, & praesertim Auditoribus meis, gratum praestem officium, mihi que ipsi commodam recitationum normam proponerem, aptum totius Chirurgia compendium concinnare decrevi, in quo, quicquid boni ex veterum recentiorumque monumentis, ac propria observatione in castris, magnis nosocomiis & urbibus (ubi multum tempus contrivi,) collegi, nervose ac perspicue, si Deus vires concedet, delineabo, insimul operam daturus, ut, quantum fieri potest, nihil supervacanei ponatur, nec quicquam scitu tyronibus chirurgicis necessarium omittatur. Et hoc praemultis aliis me praestare posse, varias ob rationes existimo, & 1) quidem, quia non ex lectione tantum, librorum, Latino, Germanico, Gallico, Belgico, Anglico Italicoque sermone conscriptorum, sed & ex usu atque experientia scribo, qui non solum variis optimis Gallorum, Anglorum, Belgarum & Germanorum Chirurgis frequenter adstiti, sed & ipse omnis generis operationes Chirurgicas, ne difficillimis exceptis, perfeci, & adhuc, quoties occasio fert, suscipio; 2) quia amplo satis optimorum instrumentorum Chirurgicorum apparatu, ad quascunque operationes peragendas, instructus sum. Praeterea 3) quia & in Anatomie, Chirurgia optimo fundamento, sub Anatomicorum Principe Celeb. RVYSCHIO, per aliquot annos desudavi, laboremque hunc etiam hucusque continuando, talem corporis humani cognitionem mihi comparare studui, qualis Chirurgo bono necessaria & forte sufficiens est: non negligendo interim, quae & ex Physiologicis, Pathologicis, aliisque Medicina partibus ad Chirurgia perfectionem aliquid conferre possunt. Ut vero hunc laborem, profecto arduum, susciperem, non inanis scribendi pruritus, (quod occupationes mea non permittunt) sed necessitas atque utilitas publica autores fuerunt: nam Chirurgica artis tanta est utilitas, tanta necessitas, tantusque cum Medicina nexus, ut illi, qui eam non probe callent, nomen veri & perfecti Medici, testibus Viris in Medicina principibus, non mereantur. Quid enim hi

viri de talibus Medicis sentiant, qui Chirurgiam ignorant, multis testimoniis comprobari facile posset; sed sufficiat unum alterumve in medium proferre, non ab exteris, sed a praestantissimis Germaniae Medicis petitur, ut Germani nostri ad eius studium magis incitentur atque inflammentur, quam haecenus factum est, & ne tam nobilis ac necessaria Medicina pars solis Chirurgis vulgaribus inexpertis, (barbitonsoribus potius dicendis) ac balneatoribus, hominibus plerumque rudibus & imperitis, committatur aut relinquatur, a) qui illotas manus in hac sacra Medicina temere cum multorum damno immittunt, qui nulla elegantiori doctrina, nulla reliquarum artis partium peritia instructi, totam Chirurgiam tanquam servilem aut illiberalem artem mechanicam discunt, atque empyrice, sine theoria aut praeceptorum fundamentalium sufficienti cognitione exercent, unde profecto innumera mala oriri necesse est. Chirurgiam partem esse Medicinae, nemo ibit inficias: Ergo qui Chirurgiam ignorat, non novit integram Medicinae, adeoque non est perfectus Medicus. Aesculapius, Podalirius, Machaon, Hippocrates, Galenus, Celsus, alique veteres Medicinae Proceres, nullum divortium inter Medicinae & Chirurgiam admittebant, sed sub unica, non sub distincta aut duplici arte exercebant: Ipsi enim venas secabant, vulnera obligabant, fracturas & luxationes restituebant, aliisque Chirurgicalibus affectibus medebantur, quod & recentioribus temporibus Vesalius, Fallopius, Marianus Sanctus, Varolius, Aquapendens, M. A. Severinus, Hildanus, Scultetus, Rolfincius, Nuckius, Solingen, Bidlous, Ruyschius, Grœnevelt, Cyprianus, Bohnius, Muraltus, Wepferus, Brunnerus, Ravius, Leusdenius, Lavaterus alique fecerunt, & adhuc hodie faciunt. Sed ut testimonia laudata nunc afferamus, audiamus, queso, primo inclytum illud Germaniae decus, Hermannum CONRINGIVM, de Medicis Chirurgiam ignorantibus ita loquentem: b)

A 3

Quum

a) Conf. quae hunc in finem dicta sunt in Tractat. nostro de Cataracta §. XCV.

b) Introduct. in Art. Med. cap. I. §. XIV.

Quum Medico integra humani corporis sanitas sive conservanda sive restituenda proposita sit; utique ab illo requiri ur, ut non unius tantum partis, sed omnino omnium cognitionem ad curationem recte instituendam habeat: a qua Chirurgia separari recte non potest. *Et paulo post*: Fatemur, ab Arabum temporibus Chirurgiæ studium a Medica arte separatum fuisse & divisum; unde etiam est, quod illos, qui Medici titulo laudantur, & artem cum dignitate faciunt, rarius videamus Chirurgica didicisse, sed potius sæpenumero ea contemnere atque despiciere. Quicquid vero sit, & quicquid nobis hac in parte alii contradicant, revera ille, qui artem Medicam profitetur, quique adeo perfectus Medicus audire cupit, necessum habet omnes eius partes tenere. *Deinde doctissimus LAVRENBURGIVS Partic. Esculap. cap. 9. ait*: Medici utuntur famulicio Chirurgorum: interim oportet eos, si viri esse volunt, non nescire easdem illas operas, ut, quando usus postulat, aut res, solertes se dare queant. *Ast ut multos alios mortuos taceamus, audiamus solum adhuc illustrem BOHNIVM, Medicum ac Chirurgum nostra tempestate excellentissimum, qui in egregio suo tractatu de Officio Medici duplici c) nervose, vere ac sapienter ita inter alia scribit*: Perinde ac nullum membrum a corpore, cuius pars integralis est, sine huius mutilatione ac deturbatione avellitur, & aliarum artium instrumenta ab iis non, nisi inepte separantur: ita Chirurgia a Medicina & Medico ne conceptu quidem secerni valet, & Medicum verum seu perfectum se gerere minime poterit, qui integram curandorum humani corporis morborum cognitionem sibi non acquisiverit. *Deinde pag. 484*: Medici, *inquit*, si Chirurgiam colere negligant, iniurii fiunt in artem suam, instrumentum efficacissimum ab hac separando, eaque ratione generi humano evidentissime præiudicant. *Et pag. 485*: Errore atque abusu valde culpabili nobilissima hæc Medicinæ pars per totam fere Germaniam barbitonsoribus & balneatoribus concedita deprehenditur, eamque callere dedignantur Medici, aut

c) Cap. XXII. pag. 479.

desidiosus, aut delicatulus nimis. *Ceterum adhuc magna pars huius capituli, magna sapientia a laudatissimo viro conscripti, a nobis transcribenda esset, si omnia huc facientia, & quasi e tripode polata hic proferre velimus: verum brevitatis causa rogo omnes arti Asclepiadeae addictos, ut ipsi illud diligenter legant atque relegant. Nos vero iam transimus ad dissertationem nostram, in qua generalem Chirurgiae novae adumbrationem sive delineationem exhibebimus, eosque, qui aliquid boni nos monere possunt, ut publicae utilitatis causa hoc faciant, humanissime rogamus.*

## PROLEGOMENA CHIRURGIAE.

*De Chirurgiae constitutione, ortu, progressu, Autoribus, divisione, instrumentis, aliisque requisitis generalibus.*

I.



Otius Medicinæ finis & Medicorum præcipua intentio est morbos corporis humani vel prævenire, vel sanare. Hæc ab antiquissimis temporibus triplici auxiliorum genere, Diæta scilicet, Pharmacia ac Chirurgia, tanquam tribus Medicinæ adminiculis inseparabilibus, præstari debere, ratio atque experientia docuerunt. Cum enim intentio Medici diæta ac Pharmacia semper obtineri nequeat, sed sæpe Chirurgia indigeat, patet verum Medicum hac Medicinæ parte carere non posse, & eius scientiam ei summe esse necessariam, qui boni & perfecti Medici nomen aliquando rite tueri satagit.

*I I. Est autem Chirurgia illa pars Medicinæ practicæ, quæ manuum & instrumentorum ope sanitatem præsentem conferre vel amissam restituere docet. Vocabulum Chirurgiæ Græcam habet originem; nam χεῖρ manum, ἔργον opus significat, quasi dicas τὸ ἔργον τῆς χειρὸς, manuum opus, & qui hodie in Sanitatis cura ita agit vel operatur, Chirurgus appellatur.*

III. Finis



*III. Finis Chirurgia* idem est ac totius Medicinæ, nimirum Sanitatis præsentis conservatio, & amissæ restitutio, hoc est morbi sanatio. Quid vero sanitas, quid morbus, quid sanatio, ex Institutionibus Medicis nota sunt.

*IV. Objectum* eius est corpus humanum vivens, sanum & ægrum, non solum partes externæ, sed & internæ, ad quos manibus & instrumentis, ob finem prædictum, pervenire possumus.

*V. Media* quibus ille finis acquiritur, sunt manus & instrumenta, ut si Chirurgus os luxatum vel fractum restituit, venam phlebotomo pertundit, abscessum scalpello aperit &c. At tamen ut felicius suo munere fungatur, requiritur simul, quicquid alii contradicant, conveniens diæta, & idonea medicamenta. Ex quibus iterum necessarius & inseparabilis Chirurgiæ cum reliqua Medicina nexus intelligitur, eam enim iam non nisi melioris doctrinæ gratia seorsim tractare suscipimus.

*VI. Ortum, progressum, incrementum & fata* Chirurgia habuit eadem fere ac reliqua Medicina; imo quod ad ortum attinet, Chirurgiam Medicina antiquiorem, citiusque excultam fuisse, ac generi humano coævam esse, ratio evincit, & historia confirmat. Nam primis seculis ob sobriam hominum vitam, victum simplicem, corporisque innatum robur, morbos internos haud adeo frequentes fuisse externis verisimile est, ideoque internis remediis minus indiguerunt. Externos vero morbos, qui manuum opem requirunt, vix magis evitare potuerunt, quam nos hodie. Si enim consideramus iniurias externas, (quibus sicuti nos obnoxii erant) ut vim corporum irruentium, vulnera, contusiones, fracturas, luxationes, lapsus, percussiones, ictus, ambustiones &c. quæ procul dubio sæpe facta sunt in ædificando, metallis e cryptis terræ eruendis, separandis, artificiose tractandis, exemplo Tubalkaini, qui iam fila ænea pro instrumentis Musicis ducere noverat, veritas asserti nostri sponte elucescet. Taceo iam conflictus & bella iam

ante

ante diluuium gesta, unde necessario omnis generis vulnera, læsiones, & dolores excitata; ad quæ sananda, & speciatim ad festucas, aliave extranea e corpore extrahenda, ad vulnera deliganda, membra fracta & distorta restituenda, combustiones aliosve dolores leniendos, manuum auxilium naturali instinctu adhibuerunt, iuuantia ac nocentia obseruarunt, annotarunt, & sic prima Chirurgiæ rudis fundamenta posuerunt.

*VII.* Deinde a *Chaldais, Babylonis, Magis, Arabibus* atque *Aegyptiis* hæc accuratius omnia exculta & ad *Græcos* propagata fuerunt, sicut historiæ priscæ monumenta docent. Hi postea præ aliis gentibus Chirurgiam magna diligentia coluerunt, & inter hos inprimis celebrantur *Chiron Centaurus*, *Achilles*, *Apollo* eiusque filius *Aesculapius* sive *Asclepius*, ambo ob sanandi peritiam in Deorum numerum relati. Huius ultimi dein filii *Machaon* & *Podalirius*, exercitum Græcorum in bello Troiano secuti, Chirurgiam magna laude, *Homero* teste, exercuerunt. Tandem *Hippocrates Cous*, ex sera horum posteritate oriundus, scientia anatomica egregioque iudicio instructus, veteris Chirurgiæ monumenta non solum collegit, sed & emendata atque amplificata scriptis nobis reliquit. Hæc deinde *Celsus*, Latino-  
rum Medicorum Princeps, *Galenus*, *Paulus Aegineta*, *Aëtius*, *Oribasius* aliique magis magisque exornarunt atque auxerunt. Et sic hæc ars ab Arabibus & Aegyptiis ad Græcos, a Græcis ad Romanos aliasque gentes transmigravit.

*VIII.* Posthæc per plura secula barbara nullum fere incrementum cepit Chirurgia, sicuti aliæ artes ac scientiæ, donec tandem seculo XIV & postea tempore instaurationis bonarum literarum varii in Europa surrexerunt egregii viri, qui Anatomicen ac simul Chirurgiam maiori industria colere inceperunt, insimulque ad multo maiorem perfectionem redegerunt. Et inter hos quamplurimos præcipue laudem meruerunt *Guido de Cauliaco*, *Ioh. de Vigo*, *Berengarius*, *Vidus Vidius*, *Varolius*, *Arcæus*, *Arantius*, *Botallus*, *Fallopianus*, *Ingrassias*, *Tagliacotius*,

Scacchus, Andreas a Cruce, Gourmelinus, Tagaultius, Roffetas, Paræus, Riolanus, Guillemæus, Paracelsus, Bartischius, Ioh. Langius, Fuchsius, Vesalius, Forestus, Fienus, Autores in Thesauro Chirurgiæ Vffenbachii, Scriptores de Chirurgia optimi a Gesnero editi, & alii.

*IX.* Donec tandem superiori & hocce seculo cum incremento Anatomæ & Méchanicæ Chirurgia quoque exactiori morborum & causarum morbificarum cognitione alius surrexit, indiesque accuratioribus instrumentis & encheiribus aucta crevit, atque ad hocce fastigium, in quo nunc conspicitur, a variis Autoribus elevata est. Inter hos autem innumeros, qui integram Chirurgiam vel saltem eius maximam partem ediderunt, reliquis palmam præripiunt Aquapendens, M. A. Severius, Hildanus, Chirurgorum omnium facile Princeps, Scultetus, Felix Würtz, Ieffenius, Barbette, Hornius, Solingen, Nuckius, Doiæus, Munnicks, Iungken, Massierus, Muraltus, Purmann, Le Clerc, de la Vauguion, Verduc, Charriere, Dionis Palfyn, Gaukes, Wisemann.

*X.* Ex Scriptoribus, qui de specialibus Chirurgiæ partibus, imo & specialissimis vel seorsim, vel saltem accuratius egerunt, iam quoque optimos indicare utile arbitramur. Et in specie de Operationibus Chirurgicis præ cæteris diligenter legi merentur Celsus, Paulus Aegineta, Paræus, Hildanus, ab Aquapendente. Hornius, Barbette, Solingen, Nuckius, Verduc, de la Vauguion, de Leauson, Charriere, Iungken, Purmann, Le Clerc, Dionis, Palfyn. *De Operationum Chirurgicarum quarundam ineptitudine* Bohn. de Off. Med. dupl. Part. I. cap. XXII.

*XI.* De Vulneribus, Arcæus, Tagaultius, Paræus, ab Aquapendente, Glandorpius, Gelmann, Vauguion, Le Clerc, Bellostii, Chirurgus Nosocomicus, *Chirurgien d' Hopital*, docens methodum iucundam & facilem omnis generis vulnera sanandi. *De Vulneribus capitis* vid. infra de fracturis cranii. *De pectoris vulne-*

*vulneribus*, Fumanellus, Pechlinus. *De oculorum vulneribus*, Fallopius, Ioh. Langius in Epist. *De vulneribus sclopetorum*, Plazzonus, Maggius, Alfonso Ferrius, Paræus, Guillemeau, Fallopius, Hildanus, Botallus, Verduc, Vauguion, Charriere, Purmann. *De extraneis e vulneribus eximendis*, Bidloo in Exercitationibus. *De turundarum abusu in vulneribus*, Cæsar Magatus, Belloste. *De vulneribus raro obligandis*, Cæsar Magatus. *Observationes de vulneribus* Belloste, Schvvarzius, Germanice. *De vulnere renunciatione & lethaliitate*, Bernhardus Suevus, Ammann, Bohnius, Valentini. *Ars faciendi relationes Chirurgicas*. Gallice. *De vulneribus sine ore exsugendis*, Anel Gallice.

XII. *De Ulceribus*, Tagaultius, Bologninus, Fallopius, Aquapendens, Verduc, Le Clerc. *De ulceribus & fistulis urethrae*, Marchettis.

XIII. *De Luxationibus & fracturis*, Paræus, Hildanus, Guillemeau, Aquapendens, Verduc in peculiari tractatu de luxationibus & fracturis, Gallice. Le Clerc in Osteologia. Petit *Ars curandi morbos ossium*, Gallice. Palsyn Belgice.

XIV. *De vulneribus & fracturis cranii*, Hippocrates, Celsus, Marianus Sanctus, Petrus Pavv, Iul. Cæsar Arantius, Berengarius Carpus de fractura cranii, Miller de effractura cranii, Schultz verleseter Kopff Belgice & Germanice.

XV. *De Tumoribus* Philippus Ingrassias, Fallopius, M. A. Severinus in aureo libro de Recondita abscessuum natura. Schelhammer, Verduc, Paul. Bernh. Calvus, Italus. *De Meliceris*, Hildanus, Sebizius. *De atheromatibus & steatomatibus*, Cortesius, Ioh. Langius, Elsholtius. *De carbunculo & bubone pestilentiali*, Fallopius, Gemma. *De strumis*, Andreas Laurentius, Ioh. Langius, Browne Anglice.

XVI. *Chirurgiam Curtorum* scripsit Tagliacotius.

XVII. *De Instrumentis Chirurgicis* vid. Andreas a Cruce, Paræus, Hildanus, Guillemeau, Aquapendens, Scultetus, Solingen, Dionis. *De instrumentorum quorundam apparatu incongruo & superfluo*, Bohn. loco supra citato.

XVIII. *De Fasciis Chirurgicis*, Galenus, Vido Vidio interprete, cum figuris. Verduc tractatus de Fasciis, Gallice. Solingen, Vauguion in fine Chirurgiæ. Omnium optime vero Le Clerc in Apparatu commodo, Gallice cum figuris. *De Laqueis & machinamentis Chirurgicis* Oribasius cum figuris, Scultetus.

XIX. *De Medicamentis Chirurgicis præstantissimis*, Pigraus, Felix Würtz, Le Clerc & Belloste in Pharmacia Chirurgica, Gallice. Huc quoque referenda videtur Etmulleri Chirurgia Medica.

XX. *Observationum Chirurgicarum Scriptores*, Paræus, Ferrara, Cabrolus, Wierius, Scultetus, Stalpart von der Wiel, Petrus de Marchettis, Hildanus, Rossius, Tulpius, von Meekren, Lambsverde, Roonhuysen, Ruyschius, Muys, Muralt, Belloste, Saviard, Purmann, Wolfius, Waltherus, Valentini.

XXI. *De præcipuis artis Chirurgicæ controversiis* Fienus.

XXII. *De Arte Obstetricia*. Inter veteres Paræus; inter recentiores Mauriceau, Paulus Portal, Peu, Iustina Sigmundin Brandenburgische Behemutter. *De Embryulcia sive fœtus mortui ex utero extractione*, Solingen in peculiari tract. Chirurgiæ suæ annexo, & Autores modo citati. Ex veteribus conferri possunt Aquapendens in Op. Chir. Paræus L. 23. Chirurg. cap. 26. Hildan. cent. 6. obs. 64. *De sectione casarea seu partu casareo*, Franc. Rouffetus, Dœring, Hildanus, Ruleau, Theophilus Raynaudus, Fienus, Godofredus a Lankisch. *De exsectione fœtus mortui post menses XXI in uteri tuba delitescentis matre salva excisi*, Abrahamus Cyprianus.

XXIII. *De Lithotomia*, præter multos alios, Marianus Sanctus, Hildanus. Tolet, Gallice. Groenvelt, Latine & nuperrime Anglice. Launay. Alghisi, Italice. Mery de methodo secandi Fratris Jacobi. *De turundarum post lithotomiam usu & abusu* varia scripta prostant pro & contra apud Hildanum.

XXIV. *De Herniis*, Geigeri Kelegraphia, Le Quin, Blegny, Launay, Berenger, von Hammen, Mery in Histor. Acad. Reg. Scientiar. A. 1701. p. m. 356.

XXV.

XXV. De *oculorum morbis*, Bartischius Ophthalmologia, Guillemæus, Antonius Maitre-Jan. De *Cataracta*, præter modo laudatos etiam in specie Brisseau, & ego. De *Polypionario*, Glandorpius. De *dentium Chirurgia*, Guillemæus, Strobelergerus.

XXVI. De *Bronchotomia*, Moreau, Fienus, Manovius, Dekkers. De *Cancro*, Gendron, Alliot, Helvetius, & inter veteres Benedictus Textor. De *fistula ani*, Marchettis in observat. Le Monnier, Gallice. De *meatuum naturalium clausorum curatione*, Wierus. De *Caruncula in meatu urinario*, Ferrius, Lacuna. De *Paronychia*, Glandorpius. De *Ventositate spina*, Pandolphinus cum annotationibus Mercklini, Marchettis in observationibus.

XXVII. De *gangrena & sphacelo*, Hildanus, Fromannus. De *artuum amputatione*, Fienus. De *nova decurtandorum artuum methodo*, Verduin. Ruyschius. De *Combustionibus*, Hildanus. De *Vena sectione*, Botallus, Francisci, Gailhardus, Jondot, & Anonymus Gallus, de Effectibus venæ sectionis ratione transpirationis. De *Arteriotomia*, Fienus, Prosper Alpinus, Scheurl. De *Aneurismate*, Bartholinus, & Hornius in microtechne. De *hirudinibus, scarificatione & cucurbitulis*, Botallus, Petrus Paulus Magnus Placentinus, Italice. De *scarificationibus Aegyptiorum*, Prosper Alpinus. De *Acupunctura Japonensium*, ten Rhyne. De *cucurbitularum abusu in febris putridis*, Aquapendens. De *Fonticulis & Setaceis*, Galvanus Italice, Glandorpius. De *Cauteriis*, Costæus, P. P. Magnus, Fallopius, Fienus, Bartholinus.

XXVIII. De *Chirurgia infusoria*, Joh. Daniel Maior. De *Chirurgia transfusoria*, Lovverus, Manfredus, Ettmullerus Mercklinus. De *Hydatibus, phlyctenis, varicibus, ocula purulento & verrucis*, Bidloo in Exercit. Anat. Chirurg. *Cista militaris*, hoc est designatio præcipuorum instrumentorum & medicamentorum, quibus Medicum & Chirurgum castrensem

Instructum esse convenit, Hildanus. De Chirurgia militari Franciscus de Roma, Mindererus, Muraltus, Abeille *Chirurgien d'Armée*. *Anatomiam Chirurgicam* Italico idiomate edidit Bernard. Genga, ut & commentaria in omnes aphorismos Hippocratis Chirurgiam spectantes, Romæ 1694. 8. Latine & Italice.

XXIX. Superfunt adhuc multi Scriptores Chirurgici, quorum studio nullam hic fecimus mentionem, quia hic probatiores tantum indicare voluimus, ut Studiosi Chirurgiæ ex tam multis hos præcipue sibi familiares reddere queant. Qui tamen & reliquos nosse desiderat, evolvat D. Gœlike nuper editam Historiam Chirurgiæ; Interea tamen multos adhuc Auctores nominavimus egregios, qui in modo laudata Historia non reperiuntur.

XXX. Taceo quoque *Dissertationes Academiæ innumeras de thematibus Chirurgicis conscriptas*, quarum multæ magna industria exaratæ sunt; & quia sæpe Observationes curiosas & utilissimas, casus & materias specialissimas, aliaque singularia pertractant, quæ in systematibus frustra quærentur, hinc & illarum lectionem commendamus, ac nonnullas in speciali Chirurgiæ pertractatione nominabimus.

XXXI. Scriptoribus Chirurgicis probatissimis indicatis, *tyronibus artis Chirurgicæ iam generatæ quendam ideam operarum Chirurgicarum proponam*. 1.) Chirugi coniungunt præter naturam divisa aut disjuncta, ut in fracturis, luxationibus, vulneribus, ulceribus &c. 2) dividunt, vel præter naturam conjuncta aut coalita, ut in clausis meatibus naturalibus, ani, partium genitalium utriusq; sexus, digitis coalitis: Vel naturaliter conjunctarum, ut fit in Venæ sectione, abscessuum apertione, trepanatione. 3.) Auferunt vel superflua, ut excrescentias præter naturales, polypum narium: vel noxia, ut partes Sphacelo corruptas, manus, pedes, penem, testiculos, 4.) exitum procurant rebus, quæ vel naturaliter excerni debent, ut urinæ suppressæ, foetui, secundinis, dentibus infantum. Vel rebus præter

præter naturam alicubi inclusis, ut calculo, globulis, festucis, puri, frustis ferri, vitri, pannis. 5.) fluxus nonnullos præter naturales sistunt & cohibent, ut hæmorrhagias vulnerum, urinæ involuntarium effluxum, instrumentis idoneis. 6.) membra inflexa, curva, aut male conformata ad naturalem figuram reducunt, ut spinam dorsi, collum, tibiasque distorta. 7.) partes amissas arte restitunt, aures, nasum, dentes, oculos, artus.

**XXXII.** Ex hac operationum diversitate ac fundamento Autores plerique suas Chirurgiæ divisiones instituerunt, & secundum illum ordinem tractarunt, augustioribus tamen plerumque cancellis eam includentes; nam nonnulli opera Chirurgica, nullo servato partium corporis ordine, in sex classes distribuerunt, Græcis insignitas nominibus: nimirum Synthésin, diæresin, exæresin, aphæresin, prosthesin, & diorthosin.

**XXXIII.** *Alii harum classium tantum quinque, alii non nisi quatuor admittunt*, imo Galenus duas tantum Synthésin & diæresin statuit, Deinde vero de loco disputant, ad quem quævis operatio sit referenda; utrum v. g. trepanatio ad diæresin, vel exæresin, an ad aphæresin reduci debeat: hinc quia hæc divisio valde confusa, & tyronibus, imprimis Græca ignorantibus, difficilis est, clariorque divisio institui potest, parum intererit istis vocabulis seu distinctionibus veterum adeo stricte adhærere, iisque memoriam præter necessitatem fatigare velle.

**XXXIV.** *Quidam totam Chirurgiam quinque sectionibus* tradi posse sustinuerunt, ut vulneribus, ulceribus, fracturis, luxationibus & tumoribus, verum nec hac divisione sine insigni confusione tota ars pertractari poterit.

**XXXV.** Igitur ut *melio rem divisionem* in Chirurgia docenda seligamus, placuit nobis eam in tres partes dispescere, de quibus certus sum totam Chirurgiam sub eis contineri, & sine confusione pertractari posse. *In harum prima de vulneribus, ulceribus, fracturis, luxationibus & tumoribus* acturus sum, quam partem consummatissimus ille suo tempore Medi-



co-Chirurgus Hieron. Fabr. ab Aquapendente Pentateuchum appellavit. *In altera Operationes Chirurgicas proprie sic dictas* docebo, ubi de omnibus reliquis morbis, manuum auxilium requirentibus, agam, qui ad quinque classes pentateuchi commode referri nequeunt; incipiendo ab operationibus, quæ variis corporis partibus sunt communes, pergendo ad caput, hinc ad collum & pectus, inde ad abdomen, & ab hoc ad extremitates manus scilicet & pedes progrediendo.

**XXXVI.** In tertia parte docebimus *deligandi methodum*, sive fasciarum quarumcunque in corpore humano necessariorum nitidam præparationem & applicationem; hæc enim scientia magni est momenti, quæ Chirurgos non solum valde exornat, magnamque fiduciam apud ægros conciliat, sed & ad curationem summe necessaria, imo sæpe sola sufficiens est; exemplo fracturarum & luxationum.

**XXXVII.** Operationes vero, quæ in altera parte tradentur, sunt sequentes. *Primo Operationes in variis corporis partibus occurrentes.* 1. *Vena sectio* in brachio, 2. in manu, 3. in pede. 4. in fronte, 5. in iugulo 6. sub lingua. *Venæ sectionis quædam symptomata quo modo curanda, ut* 1. ecchymosis, 2. Nervi punctura, 3. arteriæ fortuita vel improvida læsio in Venæsectione, 4. aneurisma. *Fonticulorum excitandi modus in brachiis & pedibus. Vesicatoriorum applicandi & tractandi ratio. Hirudinum sive sanguisugarum applicandi & removendi modus, de scarificatione & cucurbitulis. Acupunctura Sinensium & Japonensium. Iniectiones Chirurgicæ in fauces, anum, uterum, penem, ulcera sinuosa, thoracis cavitatem. Fomentatio. Cataplasmatum adhibendi modus. Cauteriorum potentialium & actualium usus. Abscessuum aperiendi encheirisis. Verrucarum extirpandi modus. Excrecentiarum auferendi ratio. Tumorum cysticorum, steatomatis, atheromatis, & meliceridis extirpandi methodus. Extraneorum e variis corporis partibus extractio, ut globulorum plumbeorum, fustro-*

rum

rum ferri, gladii, ligni, panni, chartæ, vitri &c. Sutura vul-  
nerum siccæ ac cruentæ. Digitorum manus aut pedis coalito-  
tum divisio, sive hoc a nativitate, sive ab alia causa. Digitorum  
superfluatorum a nativitate ablatio. Digitorum corruptorum  
extirpatio. Manus, cubiti, brachii, pedis, tibiæ, cruris amputatio.

**XXXVIII.** *Operationes chirurgicæ, quæ in capite  
sunt.* Fonticulus in sutura coronali. Arteriotomia in arte-  
riis temporum. De hydrocephali curatione. De Cranii fra-  
cti & depressi elevatione. De Trepanatione.

**XXXIX.** *In Palpebris.* Præternaturalia illis submissa  
quomodo eximenda. Operatio hydatidum, hordeoli, Chala-  
zii, Grandinis & tumorum cysticorum in palpebris. Verru-  
carum palpebrarum extirpatio. De phalongo si sive palpebræ  
decurtatione. De trichiasi sive ciliis oculum lædentibus. De  
ankyloblepharo sive palpebrarum concretione. De lagophthal-  
mo sive inversione palpebræ superioris. De ectropio sive inver-  
sione palpebræ inferioris. De encanthis sive excrescentia in o-  
culi angulo maiori. De anchilope sive tumore in cantho oculi  
maiori. De ægilope sive ulcere canthi oculi maioris. De fistula  
lacrymali. De oculo lacrymante.

**XL.** *In Oculis:* Suffusio & cataracta. Vnguis seu pterygium,  
staphyloma hypopium sive oculus purulentus. Proptosis sive  
prolapsus oculi. Strabismus. Oculi artificialis imponendi ratio.

**XLI.** *In Auribus.* Meatus auditorius a nativitate occlusus,  
quomodo aperiendus. Extraneorum seu peregrinorum in mea-  
tu auditorio hærentium eximendi ratio. Carunculæ in meatu  
auditorio extirpatio. Antitragi in dentium dolore urendi vel  
incidendi modus. Lobi auris singulari instrumento commoda  
perforandi methodus.

**XLII.** *In Naso:* Polypi narium tam per nares quam per  
fauces dependentis extractio. Ozænæ curatio. Nasi semiam-  
putati restitutio. Nasi artificialis appositio, ubi simul de nasi per-  
insitionem restitutione agetur.

XLIII. *In Labiis* : Labium leporinum. Carcinoma labiorum.

XLIV. *In Dentibus* : Nimis constrictorum aperiendi modus. Crusta obfessorum purificatio. Cariosorum curatio. Buccas vel linguam pungentium ac lædentium lævigatio. Dolentium urendi methodus. Corruptorum extractio. Dentium artificialium loco amissorum substitutio. Dentitioni infantum difficili ope incisionis gingivarum succurrendi modus.

XLV. *In Gingivis* : Epulis sive excrementia gingivarum. Parulis sive abscessus gingivarum.

XLVI. *In Lingua* : Linguae depressio ad faucium vitia inspicenda, & siphunculi applicationem. Frænuli præcisio. Ranulae, scirrhi, canceri linguae extirpatio.

XLVII. *In Palato* : Ulcerum palati curatio. Foraminum palati a casu ossium obturatio beneficio peculiaris instrumenti.

XLVIII. *In Uvula* : Nimis elongatae decurtatio, tam quæ ligatura, quam quæ sectione instituitur. Medicamentorum in uvulae intumescencia applicandi modus.

XLIX. *In Tonsillis* : Inflammatarum in angina scarificatio. Suppuratarum peculiari novo instrumento aperiendi modus. Scirrhosarum eximendi ratio. Excrementiarum circa tonsillas auferendi methodus.

L. *In Faucibus & oesophago* : de Extraneis e faucibus & oesophago eximendis, ossiculis, Spinis piscium &c.

LI. *In Collo* : Colli incurvati seu obstipi curatio. Tracheotomia. Strumæ ablatio. Setaceum in nucha.

LII. *In Pectore* : papillarum delitescentium in lactantibus extractio. Papillarum fissarum defensio. Lactis subsistentis evocatio. Abscessus mammaram tractandi ratio. Cancer mammaram occultus & apertus. Paracentesis thoracis. Sterni trepanatio. Pulmonis vulnerati & per vulnus protrusi curatio. Gibbositatis incipientis per idonea instrumenta emendatio.

LIII. *In Abdomine.* Umbilici ligatura in foetu recens nato. Paracentesis. Gastroraphe seu modus consuendi vulnera abdominis. Enteroraphe sive intestinorum sutura. Omenti gangranosi resectio. Sectio Cæsarea. Exomphalos sive hernia umbilicalis. Bubonocoele seu herniæ inguinalis sectio, & operatio, quæ in ileo, ab hernia intestinali orto, peragitur.

LIV. *In Scroto* : Enterocoele sive hernia intestinalis. Epiplocele, hernia omentalis, & ex his composita enteroepiplocele. Sarcocoele. Hydrocele. Hydrosarcocoele. Enterohydrocele. Pnevmatocoele. Cirsocele sive ramex, aut hernia varicosa. Ulcera testiculorum. Sphacelus testiculorum & castratio.

LV. *In membro Virili* : Phimosi. Paraphimosi. Penis cancri vel sphacelati amputatio. Frænuli sectio. De verrucis aliisque penis excrescentiis. De hypospadiasmo sive glande a nativitate non perforata. Urinæ incontinentia singulari instrumento curanda. Catheterismus. Caruncula in meatu urinario. Calculi ex urethra extractio.

LVI. *In Perinao* : de lithotomia eiusque variis perficiendi modis, apparatu maiori, minori, alto sive hypogastrica sectione, & methodo celeberrimi Monachi Fratris Iacobi, vulgo *Freve Jacques*. De fistula perinæi post lithotomiam. De punctura perinæi & punctura hypogastrica in urinæ suppressione.

LVII. *In partibus genitalibus Mulierum* : de labiis vaginæ uteri a nativitate coalitis. De hymene solito crassiori, seu membrana vaginam uteri claudente. De clitoride monstrosa auferenda. De excrescentiis vaginæ auferendis. Calculus vesicæ in mulieribus quomodo educendus. De arte obstetricia sive de modo foetum vivum & mortuum ex utero educendi. De officio Chirurgi in uteri hæmorrhagia gravidarum. Secundinarum relictarum extractio. Molæ extractio. Uteri prolapsus. Perinæi ruptio post partum difficilem. De sectione vel partu cæsareo iam supra inter operationes abdominis dictum est.

LVIII. *In ano* : clysmatum & suppositoriorum applicatio.

tio. Ani a natiuitate clausi aperiendi modus. Intestini recti prolapsus. Excrescentiæ ani extirpandæ. Hæmorrhoidum nimis fluentium obturatio. Hæmorrhoidum apertio. Fistula ani.

LIX. *In extremitatibus superioribus sive brachiis*: Pleræque operationes, quæ hic fiunt, iam recensitæ sunt inter operationes communes, Restant hic Paronychia & Sutura tendinum.

LX. *In pedibus sive extremitatibus inferioribus*: De amputationibus & Venæ sectione agitur inter operationes communes. Restant hic sutura tendinis Achillis. Varicum curatio. vnguis pollicis pedis profundius carni intrusus & dolens quomodo tractandus. Clavi pedum, Vari & Valgi.

LXI. *De Chirurgia infusoria & transfusoria* appendicis loco paucis quoque acturi sumus.

LXII. Cæterum, ne quis vitio mihi vertat, rogo, quod nonnullas operationes inseruerim, quæ quibusdam nimis viles, Medicoque in clara dignitate constituto, indignæ videbuntur, uti sunt dentium operationes, Venæ sectio, scarificatio, Fonticulorum excitatio, Vesicatoriorum & hirudinum applicatio &c. Verum dum hoc feci, efficere volui, ne quid discipulis (in quorum usum præcipue hæc scribo) desit, de quo cognitionem habere debent; inprimis quia plures clarissimi viri idem ante me egerunt. Propterea tamen in hocce rerum, quo vivimus, statu, nollem, ut Medicus promiscue viliores illas operationes, quæ a Chirurgis vulgaribus ac balneatoribus ubique hodie peraguntur, perficiat, ne avarus aut sordidus nimis videatur; attamen volo, ut omnes probe calleat, & ut in casibus necessitatis, ubi de vita hominis agitur, eas peragere possit; nam tali tempore, etiam vel solius conscientiæ gratia, Medico nihil, quod ad sanationem facere potest, sordidum aut vile nimis videri debet, ne quid omittat quod ægrum servare potuisset.

LXIII. Igitur ut discipulos omnium rerum Chirurgicarum eo meliorem cognitionem acquirant, *non solum operas man-*  
*nuarias*

*nuarias docebo*, sicut nonnulli, omittis theoria morbi, medicamentis, diætæ, &c. fieri debere contendunt; a) *sed in quovis morbo describam*. 1.) Essentiam aut naturam ægritudinis, ex principiis experientiæ ac sanæ rationis deductam. 2.) Indicabo partem affectam. 3.) Diagnosin & prognosin, ubi opus erit. 4.) Demonstrabo instrumenta optima, ad quamvis operationem necessaria. Nonnunquam obsoleta simul exhibebo, ut eo melius præstantia recentiorum cognoscatur. 5.) Modum applicandi manus & instrumenta, id est ipsam encheirisin sive actum Chirurgicum. 6.) Peracta operatione, methodum docebo, qua æger deligari, & beneficio diætæ ac medicamentorum cito, tuto & incunde, (quantum fieri potest) sanitati restitui debeat. Hoc etiamsi multis *ἀλλοτριον* & a Chirurgia alienum esse videatur, ut iam supra monuimus, attamen plerisque Scriptoribus hæc probatur methodus; facilius enim hæc in quovis casu simul traduntur & discuntur, quam si alia vice seorsim tractari & disci deberent.

LXIV. Antequam de morbis Chirurgicis agamus, necessarium hic erit *generalia quadam præmittere, quorum cognitione Studiosi Chirurgia haud facile carere possunt*, quia in plerisque morbis Chirurghi iis indigent; & præ cæteris conducet iam nosse *instrumenta maxime necessaria*, sive quorum usus præ reliquis est frequentior; nam sicuti mechanicarum artium magistri ab initio discipulos suos instrumentorum cognitione imbuere solent, ita & Chirurgiæ Studiosi sine horum noticia rite proficere non poterunt. Instrumenta Chirurgica delineata videre quidem licet apud Autores supra laudatos; melius autem erit ea diligenter perlustrare in bene instructis armamentariis Chirurgicis, & propterea, quæ ad quamvis operationem necessaria sunt, in qualibet operatione demonstraturi sumus.

LXV. Iam vero ante omnia exhibebimus illa instrumen-

C 3

ta,

a) von Horne in *Microtechn* §. 4. aliique ibi citati Autores, ut Vidus vidius, Gourmelinus, Iessenius, Aquapendens, M. A. Severinus.

ta, quorum cognitio ob frequentiore[m] usum maxime est necessaria, quæ exercitati Chirurghi hodie plerumque in theca vel in bursula quadam secum gestant, unde *gestabilia* seu *portabilia* vulgo vocari solent, & talia sunt forfex, culter phlebotomus maior & minor, vulgo *lancetta maior & minor*, scalpellum rectum & falcatum, novacula, volsella, spathula, specillum planum, cylindricum & sulcatum, & acus. His nonnulli addunt separatorium, instrumentum pro extrahendis dentibus, limam, hamulum, aliaque. Quidam Scriptores hic prolixè docent, *instrumenta differre materia, figura & usu*; verum cum vel vulgus hoc sciat, his tanquam supervacaneis explicandis supersedemus, satisque ex operationum demonstratione patebit.

LXVI. Non sine ratione instrumentis Chirurgicis mox subiunguntur *Medicamenta*, quibus Chirurghi uti coguntur, nam plerisque in casibus iis carere non possunt, quicquid alii reclament. Locus autem iam non est, quo omnia remedia commemorem Chirurgica, quæ in speciali pertractatione laudabuntur; sed nunc solum quotidiana illa indicabo, quibus Chirurghi semper instructi esse debent, & in peculiari theca secum portare; ex quibus sufficere possunt ungv. digestivum, ungv. ægyptiac. vel fuscum Wurtzii, balsamus Arcæi, & emplastrum unum alterumve, quibus in vulneribus ac ulceribus uti queant, ut empl. de minio, stypticum Croll. aut diapalmæ, aliudve simile. Præterea frustulum  $\oplus$  li cœrulei præsto sit, cuius frequens est usus ad vulnerum ulcerumque carnes spongiosas absumendas: denique etiam linteo carpto & crepitu lupi, vulgo bovisi, aut pulvere quodam styptico, sit instructus, ut ad vulneratum vocatus mox remedia sanguini sistendo in promptu habeat: & hæc omnia eidem capsulæ includi solent.

LXVII. *Chirurghi boni requisita sive proprietates* egregie descripsit Celsus in proœmio Lib. VII. & vult, ut sit *adolescens, aut certe adolescentia propior, manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente, eaque non minus sinistra quam*

quam dextra promptus; acie oculorum acri, claraque, animo intrepidus, immisericors, sic, ut sanari velit eum, quem accepit, non ut clamore eius motus, vel magis, quam res desiderat, properet, vel minus quam necesse est, secet, sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur. Attamen ita se gerat, ut, monente Hippocrate, nihil temere, nihil inconsiderate agat, & si prodesse non possit, ne noceat.

LXVIII. Hæc autem, ut rite peragantur, insignem requirunt Anatomes & totius artis Medicæ cognitionem, atque simul penetrans & accuratum iudicium, alias tuto non poterit secare, coniungere, sanare; verbo: Officium suum modo requisito peragere. Præterea a futuro bono Chirurgo quoque desidero, ut iactis prius requisitis theoriæ fundamentis, per annos aliquot frequenter nosocomia castrensia & magnarum urbium, ubi magna ægrotorum, quibus manuum opera opus est, occurrit copia, atque non solum sæpe accurate videat & observet exercitatorum Chirurgorum operationes, sed etiam manuum applicatione diligenter se exerceat; nam si nunquam, certe hic quam verissimum est tritum illud, usus facit artificem: Theoria enim sola nullus curatur æger; & sicut Galenus a) ait: *Universalis tantum cognitio nequaquam sufficit, sed exercitatio præterea requiritur, quippe qua non solum discipulus quis, sed & artifex redditur.* In quavis denique operatione, ut Chirurgus ministris, loco, lumine, situ agri commodis sibi prospiciat, res ipsa, me etiam silente, sponte loquitur, quæ pro varietate operationis varie accommodanda sunt; nam in genere nihil certi de his doceri potest, sed in quavis operatione in specie accurate indicari debent.

LXIX. Chirurgus hisce requisitis instructus & ad ægrum vocatus, si officio suo rite fungi vult, 1) explorare debet, quo morbo æger afficiatur. Hoc cognito 2) consideret, utrum cum, an sine operatione sanari queat; iucundior enim & blandior

---

a) Lib. 2. de loc. aff. Cap. LX.



dior methodus semper præferenda est severiori. 3) Si vero sine operatione morbus tuto tolli nequit, debita circumspeditione eam quamprimum suscipiat, si periculum in mora; alias in casibus difficilioribus & moram patientibus prius consilium conferat cum aliis viris in arte peritis. 4) Operatione peracta, pars affecta decenter deliganda. Et 5) quamprimum possibile, sanitati restituenda est.

LXX. *Exploratio* fit 1) *Oculis*, ut in tumoribus, vulneribus, cataracta &c. 2) *Manibus*, ut in fracturis, luxationibus, pedibus œdematosi. 3) *Instrumentis*. Ad quæ pertinent *specilla*, quibus exploramus vulnerum & fistularum profunditatem ac progressum, fissuras in cranio, aliaque. Fabricari solent vel ex argento, chalybe, ebore aut ossibus balænxæ. Ad instrumenta exploratoria etiam referuntur *catheteres*, pro calculi exploratione in vesica: & ita dicta *specula oris, ani, uteri*, quorum vitia sæpe sine diductione non rite cognosci, ideoque nec curari possunt. 4) *Auribus*: dum non raro malum ex sola ægri vel adstantium relatione mox innotescit, ut diuturniore exploratione vix opus sit. Imo auribus sæpe percipimus fluctuationem aquæ vel puris in corporis cavitatibus; fractorum ossium collisio & strepitus de fractura nos certiores facit. Audimus etiam catheteris ad calculum vesicæ allisionem, ex qua certissimam calculi in vesica præsentiam dignoscimus. 5) *Odoratus* quoque explorationi inservit, dum in ulceribus bonam vel malignam puris conditionem, imo etiam foetus in partu difficili vitam aut mortem sæpe indicat.

LXXI. *Modus explorandi* ope instrumentorum vix ex descriptione aut libris, sed usu atque exercitio cum primis addiscitur; hoc potissimum observando, ut caute, blande & suspensa manu fiat, ne quid vel temere lædatur, vel dolor præter necessitatem excitetur afflicto.

LXXII. *Dantur quoque casus a Chirurgo auxilium expectantes, neque manibus, neque instrumentis, neque sensibus exter-*

*externis, sed ratione indagandi atque cognoscendi. Exemplo esse potest: si quis fuerit lapsus ab alto, aut rudiorum percussione capite susceperit, ut omnibus sensibus privatus decumbat, nulla visibili fractura aut fissura in cranio, tunc causa horum symptomatum in sensus non incurrit, neque manibus explorari potest; adeoque ratione hic agere necessum est, in memoriam sibi revocando, quid in aliis ita afflictis fuerit observatum, nimirum sanguis in cranio extravasatus, cerebrum nervosque eius comprimens. Quoniam vero mors est secutura, nisi sanguini illi exitus paretur, hinc indicatur trepani operatio, sanguinisque e cranii cavitate educio. Sic si vomica pulmonum vel pleura supuratione rupta, pus in cavitationem thoracis sit effusum, ex morbo prægresso & symptomatibus præsentibus iudicamus paracentesin esse necessariam, etiamsi manibus, instrumentis sensibusve externis pus non percipiatur. In contrafissura cranii, variisque aliis morbis res quoque ita se habet, ut ratio nobis indicet morbi naturam & curationem, sensus vero stent post principia.*

LXXIII. Tandem adhuc opus erit, hoc loco *generalia apparatus*, ut vocant, *Chirurgici, sive artis deligandi explicare requisita*, ubi occurrunt 1.) *plumaceoli* ex linteis mundis conceptis confecti, & in figuram planam, ellipticam vel quandoque orbicularem, aut etiam in figuram olivæ contorti: quorum usus est 1) ut in vulneribus recentibus sanguinem sistant, dum vulnera iis infarciuntur, quod in levioribus vulneribus soli præstant; in gravioribus vero hæmorrhagiis pulveribus aut liquoribus stypticis, aut  $\Psi$  rectificatissimo, aut oleo terebinthinæ imprægnandi sunt. 2) Unguento vel balsamo vulnerario illiti vulneribus & ulceribus applicantur. 3) Imbibunt saniem ulcerum, ne stagnando ærior facta carnes erodat, & ut ulcera siccentur. 4) Impediunt, ne vulneris aut ulceris labia concrecant, priusquam fundus carne repletus est. 5) Vulnera & ulcera contra frigus defendunt.

LXXIV. Vulgaris mos est multorum Chirurgorum, plumaceolos ex linteis cultro rasis conficere; verum fila sic fiunt nimis brevia, & adhærent facile vulneribus, præsertim profun-

dioribus, ut non nisi difficulter in eorum mundificatione eximi queant, unde varia incommoda oriri possunt: melius igitur est, eos ex linteorum frustulis quadratis, palmæ circiter magnitudine, digitorum beneficio in fila longiora diductis, parare, quod vero, quomodo fieri debeat, melius demonstrari, quam describi potest. Vbi vulnera magna sunt, ut in amputationibus extremorum, in quibus magna plumaceolorum copia requiritur, ibi ob linteorum penuriam, uti sæpe in castris & apud pauperes contingit, primum solum stratum ex descriptis plumaceolis fieri, eique postea plumaceoli ex lino vel stappa confecti imponi possunt. Veteres etiam loco horum gossypio usi sunt.

LXXV. II.) *Turundæ* similiter fiunt ex linteo carpto, molli, singulari modo in figuram cylindricam vel potius conicam contorto. Inmittuntur vulgo vulneribus profundioribus & ulceribus fistulosis, 1) ut medicamenta ad fundum usque applicari queant, 2) ut absorbeant saniem, 3) ut impediunt labiorum concretionem præmaturam, quo extranea & fordes educi possint, & fundus carne repleri. Oportet vero, ut molles sint, & vulneris magnitudini proportionatæ, ne lædant labia vulnorum, & ut vulnere mundificato crescenteque carne earum magnitudo sensim minuatur, ne vulneris concretionem impediunt. *Belloste* omnes fere turundas promiscue damnat ac reiicit; verum si dictis cautelis adhibentur, usus eorum non est prorsus contemnendus.

LXXVI. *Nonnulla turunda quoque fiunt ex linteo molli detricto, integro, non concepto*, sed tantum in conicam figuram convoluto, apice tamen molli, & imprimis in vulneribus thoracis & abdominis adhibentur, ut quotidie sanguis aut pus extravasatum educi queat, & ne filamenta in cavitatem illabi possint.

LXXVII. *Aliæ turundæ usurpantur ad dilatanda vulnorum ulcerumque profundiorum orificia angustiora*, & Chirurgis nostris dicuntur *Quellmeißel*: parantur vero ex radice gentianæ, spongia præparata, medulla sambuci, rapis singulari modo sectis & exsiccatis, quæ omnia cavitati immissa ab imbibitione saniei & puris valde intumescunt, & intumescendo orificium dilatant, ut ad fundum facilis pateat aditus.

LXXVIII.

LXXVIII. Nonnulli ad turundas etiam referunt *cannulas argenteas & plumbeas*, quæ vulneribus & ulceribus quandoque immittuntur, pro exitu parando sanguini, puri, ichori, aquæ, urinæ.

LXXIX. III.) *Emplastra* plumaceolis & turundis retinendis applicari solent; quæquid sint, adeo notum est, ut longa descriptione non egeant. Materies & compositio eorum peti debet ex libris pharmaceuticis: varia enim hæc sunt, pro usus varietate. Extenduntur emplastra ut plurimum super linteum tenuius vel crassius & robustius, pro diversitate finis & partis, cui applicandum. Quandoque super sericum nigrum pro palpebris & temporibus. Nonnunquam etiam super corium.

LXXX. Ut autem variis corporis partibus commodius applicari possint, varias ipsis damus figuras parti affectæ accommodatas: hinc fiunt alia rotunda, quadrata, triangularia, oblonga, ovata. Alia in forma lunæ cornutæ, crucis Melitensis, literæ T. Inter omnes autem figuras communissima est rotunda & quadrata, plerisque partibus conveniens. Alia vel in uno vel in duplici latere, vel in tota circumferentia profunde finduntur, ut eo melius partibus inæqualibus & articulis adhærere queant. Magnitudo emplastrorum, pro partis affectæ diversitate, variat, & Chirurghi iudicio relinquitur.

LXXXI. *Usus emplastrorum* est retinere unguenta, pulveres, plumaceolos, turundas, in parte affecta, ne a loco suo decidant. Non autem solum ulceribus & vulneribus, sed tumoribus quoque vel resolvendis vel suppurandis, doloribus & ambustionibus mitigandis, leniendis, fracturis consolidandis, articulis luxatis roborandis, aliosque ob usus varios, omnibus corporis partibus applicari solent.

LXXXII. His IV.) imponuntur linteola aliquoties complicata, *Splenia*, & vocabulo barbaro *Compresse* dicta, tam ad partis affectæ defensionem, quam ad totius apparatus meliorem retentionem. Attamen etiam spleniis sæpe sine emplastrorum interventu utimur, nunc siccis, nunc humidis, liquoribus modo roborantibus aut adstringentibus, modo emollientibus & relaxantibus,

resolventibus, lenientibus, spirituosis aut non spirituosis,  $\Psi$ , vino, oxycrato, imbutis; nunc calidis, nunc frigidis, prout tumoribus, inflammationibus, huic vel illi malo mederi volumus.

LXXXIII. Variant eodem fere modo ut emplastra ratione figuræ & magnitudinis; sunt enim quadrata, triangularia, cruciformia, circularia, cylindrica &c. Alia a situ dicuntur longitudinalia, transversalia, obliqua, annularia, stellata, nam accommodari debent parti affectæ: paulo tamen maiora semper esse debent quam emplastra, ut hæc tegi integra possint. Nulla cæteroquin regula generalis dari potest.

LXXXIV. *Vsus eorum* est 1. partem affectam a frigore defendere, & sic eius calorem naturalem conservare. 2. Retinere supposita. 3. Ut liquida, horum beneficio partibus applicata, diu retineantur. 4. Partium inæqualitates replere, ut fasciæ eo melius & constantius firmari queant. 5. Ne ligaturæ & laquei partes excoriant, doloresve excitent. &c.

LXXXV. V.) Quoniam vero splenia & reliquus apparatus firmanda sunt, ne decidant, hinc FASCIIS opus est, quibus partes affectæ decenter involvendæ & colligandæ. Fascia autem est linteum longum, secundum filorum rectitudinem scissum, plus minus latum, vel ad splenia reliquumque apparatus Chirurgicum, vel ad partes fractas luxatasve involvendas continentasque destinatum. Fasciarum vero differentias & quomodo parari, nitideque applicari debeant, fuse satis ac perspicue in tertia Chirurgiæ nostræ parte docebimus.

i LXXXVI. Denique etiam Chirurghi indiget LAQVEIS, isque nunc crassioribus & robustioribus, nunc tenuioribus, pro varia intentione. Confecti sunt vel ex lino, cannabe, lana, serico, fetis equinis. Veteres magnam excogitarunt copiam, eisque varia imposuerunt nomina, ut nauticus, textorius, pastoralis, lupus, sandalinus, simplex, duplex &c. hodie vero tres ultimi fere solum in usu sunt. Conferri potest Oribasius.

LXXXVII. *Vtuntur* eis in fractis luxatisque membris extendendis, in lithotomia, herniarum sectione, aliisque gravioribus operationibus, ut corpus durante operatione in debito

situ

situ melius contineri queat, ne Chirurgus in operatione turbe-  
tur. In Venæ sectione venæ laqueo constringuntur, ut san-  
guinis fluxus ad fontem inhibeatur, & venæ intumescere pos-  
sint. In artuum amputatione, ne sanguis multus in operatione  
profundatur. Ad ferulas in fracturis retinendas. Ad processus  
peritonæi ligandos, si hernia cum ablatione testiculi secatur.  
Nonnulli etiam laqueos applicant artuum extremis, doloris &  
revulsionis excitandi gratia, ut sanguis ex naribus, utero, hæ-  
morrhoidalibus vasis, nimis fluens, revellatur versus extrema.  
Laqueis etiam auferuntur excrescentiæ pendulæ, tumores  
nonnulli præter naturales & verrucæ.

LXXXVIII. Laqueorum applicandi ratio & materia cui-  
vis malo accommodata, optime in quavis operatione, ubi ad-  
hiberi solent demonstrari & doceri poterunt.

LXXXIX. Quis igitur ex hæcenus dictis non cog-  
noscit *Chirurgiam esse artem I. amplissimam atque difficilissimam?*  
Si rerum sciendarum copiam & morborum multitudinem con-  
siderat. Vnde quidem factum esse videtur, quod a longe  
iam tempore a distinctis personis Medicina & Chirurgia fuerint  
exercitatae. Verum difficultas hæc nullum Medicinæ Studio-  
sum a Chirurgia discenda deterreat, labor & diligentia hanc dif-  
ficultatem vincunt; Nam quod multi Medicinæ Doctores po-  
tuerunt, id & hodie erit possibile; imprimis quia Chirurgia talis  
artis Medicæ pars est, (ut iam supra probatum) qua nullus ca-  
rere recte potest, qui perfecti Medici nomen ambit, tuerique  
aliquando conatur. Nam

XC. II. *Chirurgia ars est omnium utilissima, ac summe  
necessaria*, qua genus humanum sine maximo damno  
privari non potest, dum infinitum ægrotantium numerum, her-  
culea quasi manu, ferro & igne armata, vel e præsentaneis mor-  
tis periculis eripit, vel a summis miseriis & cruciatibus liberat.  
Præterea Medicina ad hanc, tanquam ad sacram anchoram, si-  
ve ad efficacius auxilium, confugit, quando nihil amplius ef-  
ficere valet; hinc Hippocrates iam dixit: *Quæ medicamenta  
non sanant, ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ignis sanat,*

*quæ ignis non sanat, insanabilia sunt.* Adeoque hæc man-  
aria Medicinæ pars potior & efficacior sæpe est, quam quæ me-  
dicamentis curat; quam etiam ipsi osiores Medicinæ, iique, qui  
omnia medicamenta ludibrio habent, contemnere non possunt;  
nam fracturæ ac luxationes vix unquam sine Chirurgi ope re-  
stituuntur.

XCI. III. *Chirurgia pars est Medicina certissima*, nam in  
parte, medicamentaria coniecturis multa nituntur, & experien-  
tia sæpe fallax est; Aut ut *Celsus* ait: In morbis internis *for-*  
*tuna multum confert, nam dubitari potest, Secunda valetu-*  
*do artis an corporis beneficio contigerit*, multi enim reconva-  
lescunt sine omni medicamentorum usu. Chirurgiæ vero ef-  
fectus sunt evidentissimi, & magna eorum pars a sola pruden-  
tis Chirurgi dexteritate dependet; quod cataractæ operatio,  
artuum sphacelatorum amputationes, luxationum & fractura-  
rum restitutiones, præter innumera alia exempla, abunde te-  
stantur, & hinc *M. A. Severinus* non immerito Chirurgiam suam  
inscripsit, *de Efficaci Medicina.*

XCII. IV. *Chirurgia ars est nobilissima & dignitate se-*  
*non prior, saltem equalis Medicinæ*; quia 1. Obiectum idem ha-  
bet nobilissimum, nimirum hominem. 2. Finem præstantissi-  
mum, sanitatem scilicet, auro quovis præstantiorem, quam ma-  
iori evidentia ac certitudine procurat ægrotis, quam Medicina  
vulgari sensu intellecta.

XCIII. Ergo, *Philiatri optimi*, omnes intendite nervos  
ad nobilissimam, utilissimam, præstantissimamque hanc Medi-  
cinæ partem rite addiscendam, nec ullum Vestrum pudeat Chi-  
rurgiam una cum reliqua Medicina excolere atque exercere;  
Médicus enim qui simul bonus est Chirurgus, haud inferioris  
erit sortis, quam Medicus solis medicamentis ac diætâ sanans,  
quicquid ignari aut invidi calumnientur. Exereuerunt enim  
Chirurgiam ante & post Hippocratem multi clarissimi Medici.  
Neque hoc dedecori sibi esse putarunt Doctores Medici præci-  
pui, qui ultimis seculis vixerunt, quorum tamen fama immor-  
talis

talis erit. Imo nec hodie deesse Medicos magnæ exillimationis Chirurgiam exercentes, iam in præfatione indicavimus.

XCIV. Nolite igitur audire calumniatores, qui operas Chirurgicas infra Doctoris Medici dignitatem esse contendunt, sed potius, præter supra dicta, adhuc verba doctissimi *Berengarii* eis opponite a) dum ita scribit: *Equidem credo, multos de prædictis Medicis operaturos, si scirent modum operandi; sed potissima causa, ob quam non operantur, est, quia nesciunt operari.*

XCV. Neque vos deterreant sanguis, pus, ichor aliæve sordes, quæ forte aliquando vos conspurcabunt, nam aqua hæc omnia delet & abluit; qui enim Medici fieri volunt, mature animum ita roborent necesse est, ne ab his affectus aliquis oriatur; & imprimis etiam quia hæc operationes sanitatis & Caritatis Christianæ causa suscipiuntur. Sicut enim *Medici Chemicæ faciem ac manus carbonibus, luto, stercoribus aliisque rebus sordidis defædantes*, propterea minime culpandi sunt, sed potius laudandi, omnique honore digni habendi, quia operibus suis utilia ac salutaria producant: ita quoque Medici Chirurghi, dum non raro sordidas operas perficiunt, non contemnendi sunt, sed potius sordes illæ ipsis laudi atque gloriæ ducendæ, quia Sanitatis humanæ gratia generoso animo nullam foetorem fugiunt, nullaque incommoda sustinenda detrectant, si modo ægris prodesse possunt; propterea etiam ab omnibus bonis in honore habentur, & a sanatis plenis buccis celebrantur.

XCVI. Prout igitur nemo, nisi rerum omnium ignarus, aut potius insanus, Chemicam exercere Medico turpe putabit; ita & de Chirurgia sentiendum esse arbitror, licet utraque ars sordibus suos artifices sæpe afficiat: Sanitas enim humana Medico magis curæ cordique sit, quam intempestiva illa mundities, ob quam multi ægrorum perierunt, quæ profecto genuinum ac cordatum Medicum dedecet; nam Medicus nihil fugere debet incommodi, nihil turpe putare, quod Sanitatis humanæ causa evitare nequit, *tunc enim demum Medicus suas peregrinas partes,*

a) *Lib. de Fractura Cranii Cap. XIII.*



partes, dictatore Hippocrate, *ſe omnia fecit*, qua artis sunt: tunc demum conscientiam suam liberavit, ſi nihil omiſit, quod ægrum ſervare potuiſſet.

XCVII. Denique vero quia certum eſt Chirurgiam in Sanitatis negotio Chemiam longe antecellere, idcirco etiam illam maiori ſtudio tractandam eſſe cenſeo; ſimulque fore conſido, Medicinam brevi ad longe maiorem perfectionis gradum redactam iri, ſi Medici rationales, Anatomes reliquarumque Medicinæ partium notitia probe inſtructi, Chirurgiam diligentius, quam hætenus factum eſt, diſcerent atque exercerent.

---

## COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. *Inſtitutum in Gallia non minus laudabile quam ſexui ſequiori utile, quod Chirurgis gravidarum & parturientium cura concedatur.*

II. *Nec dedecet nec indecorum eſt quod Viri parturientibus manuariam opem ferant. Contra Gallum quendam recentiore.*

III. *Per Chirurgiam interdum minus nubilus poteſt reddi nubilus, & ſterilis fœcunda.*

IV. *Fonticuli non ſunt inutile ægrorum tormentum contra Helmontium.*

V. *Solum hominem calculo eſſe obnoxium nemo facile cum Ariſtotele affirmabit, qui quotidie ex brutis colligi videt talia coagula.*

VI. *Vti pluribus morbis ita inprimis in calculi veſicæ pathematibus unicum ſolacium ex Chirurgia relinquitur.*

VII. *Rudior mammaram contrectatio ſæpe ſcirrbum & cancerum induxit.*

VIII. *In Venæ Sectionis operatione delectus venarum ſæpe magni eſt momenti.*

